


«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (65)

4.15.9.3. De opificinis

Hōc in capitulō de nonnullis maioris momenti mutationibus condicionibusque breviter referatur, qui tempore Norberti Weber in conexū opificinarum factae sunt.

Chronologice primo loco nova domus lavatoria est ponenda, quae sensū latiore etiam opificinis adnumerari potest.¹ Decursū temporis crescente numero monachorum, cooperatorum hospitemque oeci in domo Sanctae Annae, in qua usque tunc lavandaria curabantur, non iam sufficiebant. Itaque omnino necessarium erat, ut aedificium maius erigeretur, quod instructione quōque interiore ad labores exanclandos magis aptum erat. Itaque mense Julio a. 1907ⁱ constitutum est, ut haec domus exstrueretur, ad quam descri-



Praedispositio domūs lavatoriae a P.re Paulo Sauter delineata.

bendam P. Paulus Sauter responsalis erat² et secundum cuius consilium compositio ex duabus domibus constans absolvebatur. Area autem, quae huic aedificio provisa erat, in latere septentrionali-occidentali fundi monasterialis

1 Breviter de novā domo lavatoriā cfr Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 321 sq.

2 Cfr Ann. Ottil. 3, 10./11.7.1907, p. 64 (ASO, A.3.4.3).

sita erat.³ Aestate anni 1908ⁱ nova domus lavatoria perfecta erat.⁴



Domus lavatoria nonnullis annis post exstructionem.

In minore aedificiorum inter se coniunctorum ipsi labores lavandi, exsiccandi levigandique fiebant. Hic etiam machina vaporaria erat posita, quā reliquae machinae promovebantur et quae antea alio loco instructa erat. In adiuncto aedificio distego pedeplana ad lavandaria disponenda atque, si necessarium erat, resarcienda sunt adhibita. Tabulata autem superiora ut habitationes operariorum externorum instituta erant.⁵

Iam anno 1914^o de aedificii amplificandis cogitandum erat, cum copia lavandariorum maiorata esset.⁶ Cum itaque maius ahenum vaporiferum esset necessarium, specialis domus machinarum est adiuncta.⁷ Decursū autem temporis tamen pluribus mutationibus opus erat. Anno 1922^o prīstina domus lavatoria amplificata est eique duo additamenta adstruebantur. Hunc in modum aedificii pars meridionalis atque usque tunc minor in directionem meridionalem prolongata atque uno tabulato superposito maiorata est, nova

3 In septentrione illius aedificii anno 1909^o gallinarum cultura amplificata est instructa.

4 Cfr Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 27 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 322.

5 Usque dum Sorores anno 1904^o Tutzingam transmigraverunt, eadem maximā ex parte lavandaria curaverant.

6 Talis condicio versimiliter etiam eo cohaerebat, quod in Archiabbatiā Ottiliensi inter primum bellum mundanum valetudinarium militare locum habuit. - Cfr Vol. 2, cap. 8.1.


7 Cfr Ann. Ottil. 3, 24.9.1914, p. 224; 18.10.1914, p. 230 (ASO, A.3.4.3); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 322.

vero domus machinarum occidentali aedificio transverso adiuncta est.⁸ Mense Septembri a. 1922¹ novum aedificium confici potuit, quā in re tamen harenationes adhuc deerant, sed omnes machinae iam instructae erant.⁹

Postquam anno 1905^o nova aedificia oeconomiae sunt confecta atque omnia pecora ibidem collocata sunt, aedificia atque stabula tunc vacuefacta ad alios scopos adhiberi potuerunt. Ad talia aedificia etiam pertinebat prīstinum



Opificina claustrariorum.



Opificina fabrorum ferrariorum.

horreum prioris «praedium Ammerianum».¹⁰ Fundamentis illius horrei utentes monachi novum aedificium exstruxerunt, quod opificina metallina appellabatur atque in quod ex causis practicis claustrarii fabrique ferrarii transmigraverunt.¹¹

Tamen usus huius aedificii anno 1913^o amplificatus est, cum typographēum quōque ibi ingrederetur.¹² Typographēum inde ex anno 1887^o P.re Cyrillo Wehrmeister praeposito nonnullis in oecis domūs Sancti Gabrielis locum habuit. Primo ibidem et periodica, quae sunt «Infans paganus» [*«Heidenkind»*] atque «Paginae missionariae» [*«Missionsblätter»*], et «Calendarium

8 Ex causis sumptuum materiae aedificatoriae acquisitae sunt, cum magnum fumarium non iam necessarium officinae electricae destructum est atque eius lapides ad novum aedificium exstruendum adhibiti sunt. - *Cfr* Chron. Ottil., temp. ieiun. usque Pascha a. 1922.

9 *Cfr* Chron. Ottil., m. Aug./Sept. a. 1922; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 322.


10 «Praedium Ammerianum» sic dictum P. Andreas Amrhein anno 1886/87^o unā cum reliquis aedificiis ad idem pertinentibus emerat. - *Cfr* Vol. 1, capp. 1.6.3.1; 1.6.3.2.

11 De nova opificina metallina *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 309.

12 De typographēo *cfr* Leander BOPP (1952), pp. 53 sq. (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 309.

missionarium» [«*Missionskalender*»] imprimebantur. Sed satis celeriter manifestum erat onera temporis laborumque illis paucis cooperantibus fuisse nimia,¹³ ita ut mandata typographica divulgationum ampliorum inde ab anno 1890° Monacensi officinae Francisci Xaverii Seitz tradita sunt et tantummodo minora scripta in typographēo Ottiliensi imprimebantur.¹⁴

Conditio tamen mutata est, cum P. Beda Danzer¹⁵ typographēum ducendum suscepit. Ut apparet, B. Beda ardore huius officii incitatus erat. Nam statim typographēum maiorandum curavit, quod mense Maio a. 1913¹ constituebatur,¹⁶ quā de causā etiam illa transmigratio in aedificium opificinae metallinae suscepta est. Ad rem amplificandam etiam pertinebat condicio, quā quaedam machinae - et novae et usitatae - pro typographēo et pro labore bibliopecti acquirebantur,¹⁷ ita ut imprimis periodica missionaria inde ab anno 1914° iterum in typographēo Ottiliensi imprimi potuerunt.¹⁸ Enthusiasmus P. ris



P. Beda Danzer.

13 Plerique Fratres illo tempore ad opera aedificatoria erant necessarii.

14 De hac condicione *cfr* Cyrill WEHRMEISTER: *Missionsdruckerei und Missionsverlag. Grundsätzliches und Historisches.* (Manuskript 1933), pp. 1 sqq. (ASO, A.12.4.1); «Geschichte der Missionsdruckerei St. Ottilien» (Typoskript 1953), p. 1 (ASO, A.12.4.1). Auctor huius typoscripti non quidem nominatur, sed fortasse agitur de P. re Sigefrido Fischer, qui inde ab anno 1934° erat praepositus typographēi.

15 P. Beda Danzer, natus die 11° m. Ian. a. 1881° Passaviae in dioecesi Passaviensi sitae, vota sua protulit die 5° m. Oct. a. 1902° in monasterio Ottiliensi et die 19° m. Oct. a. 1905° sacerdotio auctus est. Die 10° m. Ian. a. 1925° in Argentiniam emissus est, unde die 18° m. Ian. a. 1926° in Germaniam revertit. P. Beda iuxta typographēum munere bibliothecarii atque magistri scholaris functus est et inquisitiones de Regula Sancti Benedicti et de historia Ordinis Benedictini conscripsit. P. Beda die 6° m. Maii a. 1944° Dissae obiit. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0337, p. 41; ASO, A.1.1 (PA Danzer).

16 *Cfr* Ann. Ottil. 3, 4.4.1913, p. 144; 23.5.1913, p. 147 (ASO, A.3.4.3); Leander BOPP (1952), p. 53 (ASO, D II).

17 Index illarum machinarum invenitur in scripto, q.e. «Geschichte der Missionsdruckerei» (1953), p. 2 (ASO, A.12.4.1). De emptione atque instructione nonnullarum machinarum *cfr* etiam Ann. Ottil. 3, 3.9.1913, p. 157; 29.11.1913, p. 177 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: *Baugeschichte St. Ottilien* (s.a.) I, p. 37 (ASO, A.14.0).

18 Praeterea tunc etiam numerus auctus librorum, qui in «domo editoria missionaria Ottiliensi» edebantur, in proprio typographēo exhiberi potuerunt. «Domus editoria missionaria» iam anno 1904° erat condita. (*Cfr* Cyrill WEHRMEISTER: *Missionsdruckerei und*



Interiora typographēi.

Bedae insuper talis erat, ut iam ante initium primi belli mundani in Lipsiensi Academia typographorum munus typographi addisceret.¹⁹ Propter hoc augmentum typographeī atque peritiam rerum decursū temporis praeterea fieri potuit, ut plures Fratres his in muneribus erudiri potuerunt.

Anno autem 1918^o typographēum crīsim perpesum est, cum Conventus existimaret detrimenta in hac opificinā continuandā esse maiora quam eius emolumenta. Itaque mense Novembri a. 1918ⁱ consilium Conventūs captum est, quo dicebatur typographēum claudendum atque officinae Francisci Xaverii Seitz vendendum esse.²⁰ Praeter alia hōc decretum cohaerebat cum condicione, quā multi Fratres, qui in ty-

pographēo cooperati erant, in primo bello mundano ceciderant. Tamen P. Beda pugnavit, ut typographēum servaretur, in quā re eius argumenta testimonio externo sustentabantur. Sic factum est, ut mense Marto a. 1919ⁱ illud decretum Conventūs sublatum est atque typographēum permansit.²¹

Anno 1920^o deinde P. Cyrillus Wehrmeister responsalitatem typographeī suscepit, cui tamen iam anno 1922ⁱ P. Macarius Spitzig successit.²² Eodem ducente tunc typographēum amplificatum est, cum oeci in opificinā metallicā siti necessitatibus huius opificinae non iam subficiebant. Itaque mense Iulio

Missionsverlag (1933), p. 2 (ASO, A.12.4.1)). - Cum inde ex anno 1914^o labores typographici iterum sub auspiciis propriis fierent, cooperatio cum officina Francisci Xaverii Seitz finita est.

19 Cfr Cyrill WEHRMEISTER: Missionsdruckerei und Missionsverlag (1933), p. 3 (ASO, A.12.4.1); Leander BOPP (1952), p. 53 (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 309. - P. Beda Danzer insuper anno 1916^o examen magisterii typothetae superavit.

20 Cfr Chron. Ottl., m. Dec. a. 1918; Leander BOPP (1952), p. 53 (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 309.

21 Cfr Chron. Ottl., m. Mart. a. 1919; Leander BOPP (1952), p. 53 (ASO, D II) iudicat, quod typographeum continuatum esset, *«rectum fuisse tempus futurum docuisse»*.

22 De praepositis typographēi inde ab anno 1914^o cfr *«Geschichte der Missionsdruckerei»* (1953), p. 10 (ASO, A.12.4.1).

a. 1923ⁱ exeunte secundum descriptiones F.ris Leonis Jungblut²³ opificinae metallinae aedificium adstructum est,²⁴ et hōc quidem in eius latere meridionali. Tamen aedificium conficere ex causis tempestatis non mediocriter retardatum est,²⁵ ita ut opificina typographeī demum autumno a. 1924ⁱ in novos oecos transmigrare posset.²⁶ Pars typothetarum in primo tabulato aedificiī novi instructa est, bibliopegae in prīstunum oecum typothetarum immigraverunt, quo modo plus spatii pro novo oeco machinarum factum est. Propter spatium typographeī auctum tunc etiam fieri potuit, ut plures machinae compararentur et hunc in modum labores efficaciores redderentur.²⁷ -



Fr. Leo Jungblut.



Typographeum post annum 1924 receptum.

P. Macarius Spitzig usque ad annum 1929^{um} typographēo praeerat, cui tunc usque ad annum 1931^{um} P. Vinfridus Schneiderhan secutus est.

Illae autem multae opificinae, quae in Abbatia Ottiliensi exercebantur, propter varias machinas adhibitae multā energīā indigebant. Difficultates imprimis tunc exoriebantur, cum plures machinae insimul in usū erant, id quod

ad labores efficaciter exanclandos vitari non potuit. Praeterea monasterium, seminarium atque alia aedificia

23 Fr. Leo Jungblut, natus die 12^o m. Maii a. 1886^o in loco Pisinperca Inferiore [*Unterpeißenberg*] in dioecesi Augustanā sito, vota sua die 4^o m. Oct. a. 1908^o in Abbatia Ottiliensi protulit. Idem die 21^o m. Apr. a. 1930^o ad Abbatiam Peramiho emissus est. Fr. Leo Jungblut die 31^o m. Mart. a. 1946^o in loco Lituhi vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0425, p. 49; ASO, A.1.1 (PA Jungblut).

24 *Cfr* Chron. Ottil., m. Ian.-m. Iul. a. 1923. - Maria HILDEBRANDT (2008), p. 310 ut terminum exstructionis tantummodo annum 1924^{um} indicat, sed sic solum ad aedificium finitum refert.

25 *Cfr* Chron. Ottil., m. Oct.-m. Dec. a. 1923; m. Apr.-med. m. Iul. a. 1924.

26 *Cfr* Chron. Ottil., m. Oct.-m. Dec. a. 1924; «Geschichte der Missionsdruckerei» (1953), p. 2 (ASO. A.12.4.1); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 310.

27 De novis machinis *cfr* Chron. Ottil., m. Oct.-m. Dec. a. 1924; «Geschichte der Missionsdruckerei» (1953), pp. 2 sq. (ASO. A.12.4.1).

electricitate instruenda erant. Condicio autem, quā tota Abbatia energīa suppeditabatur, magis magisque non sufficiens esse se praebuilt. Itaque anno 1908^o constitutum est, ut electrificina propria institueretur. Aedificium ad hunc scopum necessarium in latere septentrionali seminarii in domo Sanctae Catharinae siti erectum est.²⁸ Cum electricitas magnā machinā vaporariā efficeretur, aedificio erat fumarium altitudinis decem metrorum. Electrificina, postquam machina vaporaria allata²⁹ atque instructa est, mense Septembri a. 1908ⁱ in usum assumpta est.³⁰



Electrificina Ottiliensis.

Tamen non multo post iam primae mutationes factae sunt, cum Abbatia Ottiliensis ad centralem electricam officinam regionalem Bruccae sitam adiuncta est. Ille vero processus gradatim progrediebatur. Cum a loco centrali tensio magna mille voltiorum afferretur, transformatorium necessarium erat, quo tensio in 190 voltia fluenti triphasici formabatur, quod denique motro adhibito in fluentum continuum mutabatur. Illud transformatorium magnum graveque mense Decembri a. 1911ⁱ apportatum est atque in electrificinā

28 Cfr Ann. Ottil. 3, m. Mai. a. 1908, p. 73 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 27 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 314.

29 Cfr Ann. Ottil. 3, 23.9.1908, p. 76 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 27 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 314.

30 Cfr Chron. Ottil., m. Sept. a. 1908; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 27 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 314.

Ottiliensi institutum est.³¹ Machina autem vaporaria magna ut suppletorium atque pro casu necessitatis ad tempus quoddam in loco mansit. Medio mense Ianuario a. 1912ⁱ denique fluentum electricum definitive in rete Ottilianum immitti potuit.³² Nihilominus aestate a. 1913ⁱ oecus, quo tabulae distributionis atque dynamon continebantur, maiorandus erat, ita ut aedificium additiciū necessarium esset.³³ Magna machina vaporaria, quae interea supervacanea erat, mense Maio a. 1916ⁱ amota atque vendita est.

De officinā autem aliā breviter referendum est, quae extra territorium monasteriale sita erat, nempe de molinā Vindacensi.³⁴ Illam molinam ut serratrinam adhibitam Ottiliani iam anno 1900^o emerant et anno 1901^o mutaverant eo modo, ut novum canalem struerent atque serram, quae ad ligna rotunda serenda erat apta atque phalangam turbinalem instituerent et domum intrinsecus reficerent.³⁵ Mense Iulio a. 1906ⁱ molina deinde restaurata et parva cappella inserta est. Talis cappella erat optabilis, cum in molina Fratres atque famuli hic cooperantes habitabant. Nam molina non solum ut serratrina adhibita est, sed etiam ad frumentum molendum, praeterea hic parva agricultura exercebatur, quae anno 1907^o pratis emptis, quae iuxta fluviolum Vindacense sita erant, amplificabatur.³⁶ Haec molina nonnullos annos minoribus rebus mutatis adaptatisque in usū erat, sed autumno a. 1921ⁱ denuo maiores labores aedificatorii fiebant. Primo domuncula transformatorii erecta est, quae necessaria erat, quia propter aquarum altitudinem fluvioli Vindacensi magis magisque minutam ad lignum dissecandum atque molendum electricitate omnino indigebatur.³⁷ Tempore vernali a. 1922ⁱ deinde poppter

31 Cfr Chron. Ottil. m. Sept. a. 1911, ubi etiam fusius de operandi modo transformatorii refertur. - Cfr etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 314 atque brevis adnotatio Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 33 (ASO, A.14.0).

32 Cfr Chron. Ottil., m. Ian. a. 1912; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 36 (ASO, A.14.0).

33 Cfr Ann. Ottil. 3, m. Maio a. 1908, p. 73 (ASO, A.34.3), ubi annalista postea mutationem anni 1913ⁱ commemorans subiunxit et adnotavit, «*cum ex parsimoniā male adhibitā nimis parvum aedificatum erat*». - De mutatione huius aedificiī cfr etiam breviter Maria HILDEBRANDT (2008), p. 315.

34 Vindacum [*Windach*] est vicus, qui non longe ab Abbatīā Ottiliense situs est.

35 Cfr Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 19, p. 20 (ASO, A.14.0).

36 Cfr Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 25 (ASO, A.14.0).

37 Cfr Chron. Ottil., m. Aug.-m. Oct. a. 1921.

maiolem numerum oecorum necessarium exstrui coepta est nova domus habitationis,³⁸ quae denique mense Maio exeunte sive mense Aprili ineunte a. 1924ⁱ erat perfecta et cui etiam propria cappella domestica instructa est.³⁹



Molina Vindacensis.

Aliud vero inceptum hōc in conexū commemorandum est, quod in conexū opificinae sellariorum coriariarumque exortum erat. Agitur enim de incepto quaestioso «Ottilianae opificinae mercium coriariarum», quae dicebatur.⁴⁰ Ideam huius rei condendae videtur P. Ludger Breindl habuisse, qui annis vicesimis et praefectus opificinarum et cellerarius primarius erat. Scopus huius officinae erat - sicut in praedio Tragoessiano - in eo, ut satis multa pecunia accepta curaretur, quā et monasterio et regionibus missionariis subsidium ferretur. Pecunia accipienda ex venditione variarum mercium coriariarum usūs cottidiani compararetur, quae ibīdem conficiebantur atque superregionaliter venumdabantur.⁴¹ Condita est «Opificina mercium coriariarum» verisimiliter anno 1920° sive 1921° sive paulo post.⁴² Praepositus

38 Cfr Chron. Ottil., temp. ieiun.-Pasch. a. 1922.

39 Cfr Chron. Ottil., m. Apr.-med. m. Iul. 1924. - Novam cappellam benedixit Archiabbas Norbertus die 7 m. Iun. a. 1924.

40 «Ottilianische Lederwaren-Werkstätten» (OLW). - De hac opificinā cfr breviter Maria HILDEBRANDT (2008), p. 62.

41 Unum ex problematis inde exortum est, quod nimis multae variae merces conficiebantur.

42 Annus exactus comperiri non potest, cum de hac re mirum in modum in fontibus nulla indicia inveniuntur. Annus 1920° est temporis momentum primum, quod fieri potest et quod praeter alia inde suspicandum est, quia illo anno coriarii officina in domo Sanctae

fabrilis oeconomicusque «opificinae mercium coriariarum» Fr. Alanus Geiger⁴³ redditus est. Ut cooperatores opificinae sellariorum et hunc in modum etiam «opificinae mercium coriariarum» nominantur Fr. Vilelmus Liebers atque Fr. Sturmius Kreitmeyr.⁴⁴ Praeterea in «opificina mercium coriariarum» nonnulli cooperatores laici laborabant. Tamen decursū temporis eorum numerus augebatur.

Primo hōc inceptum satis bene progredi videbatur. Anno 1923^o in chronicis adnotatio laudativa de hac re invenitur.⁴⁵ Tamen satis celeriter manifestum erat «opificinam mercium coriariarum» in satis profunda problemata intrusam esse, quae magnā ex parte modo officinae regendae exorta sunt. Ab F.re Hyacintho Johannes,⁴⁶ qui inde ex mense Octobri a.



Fr. Alanus Geiger.

Annae instructa est. Illo enim in aedificio in conexū opificinae sellariorum mense Februario a. 1920ⁱ coriarii officina chromii aluminisque instructa erat (cfr Ann. Ottil. 3, 26.2.1920, p. 503 (ASO, A.3.4.3); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 62), fortasse iam sub aspectū «opificinae mercium coriariarum» condendae. Aliud indicium temporis potest esse examen magisterii sellarii, quod Fr. Alanus Geiger anno 1920^o exeunte Landsbergae superavit (cfr Chron. Ottil., m. Nov.-m. Dec. a. 1920).

43 Fr. Alanus Geiger, natus die 10^o m. Aug. a. 1899^o Augustae Vindelicum, urbe in dioecesi Augustana sita, vota sua die 5^o m. Apr. a. 1920^o in Archiabbatiā Ottiliensi protulit. Idem per duodecim annos Ottiliensi opificinae sellariorum praefuit, antequam die 10^o m. Apr. a. 1932^o in Vicariatum Eshowe emissus est. Ibīdem variis in stationibus cooperatus est, inde ab anno 1942^o in statione Nongoma. Ibīdem valetudinaria missionaria ordinanda efficacissime curavit. Fr. Alanus Geiger die 23^o m. Febr. a. 1947^o in propinquitate Iohannisburgi sequelis calamitatis autocineticae vitā functus est. - Cfr Necrologium 2015, nr 0436, p. 50; ASO, A.1.1 (PA Geiger).

44 Haec nomina apparent in Fratrum indice anni 1920ⁱ (ASO, A.12.1).

45 Chron. Ottil., m. Apr.-m. Mai. 1923: «*Merces coriaceae sellariorum nostrorum de die in diem maiore gratiā florent; sub fabricationis genere, q.e. «Ottilianae mercis coriariae» viam in urbem regionemque inveniunt.*» (Textus originaliter Theodiscus).

46 Fr./P. Hyacinthus Johannes, natus die 23^o m. Nov. a. 1889^o in vico Hausen / Kleinwallstadt in dioecesi Herbipolensi sito, vota oblationis die 4^o m. Oct. a. 1921^o in Archiabbatiā Ottiliensi portulit. Antequam cum monasterio coniunctus erat atque primis annis, quibus ibi versabatur, variis in partibus administrationis cooperatus est, usque dum in missionem emissus est. Die 24^o m. Iun. a. 1925^o ad Inkamanam emissus est et ibīdem studiis theologicis peractis die 15^o m. Nov. a. 1927^o sacerdotio auctus est. P. Hyacinthus Johannes die 5^o m. Sept. a. 1970^o in statione Nongoma vitā functus est. - Cfr Necrologium 2015, nr 0753, p. 78; ASO, A.1.1 (PA, Johannes).

1924ⁱ in «opificina mercium coriacciarum» cooperatus est atque ibidem unā cum F.re Alano Geiger negotia administraret, causas difficultatum comperimus, cum Fr. Hyacinthus P.re Notkero Mannhart secundo cellerario rogante eidem compluries vivā voce et deinde modo scripto relationem de condicionibus deque existimatione suā exhibuit.⁴⁷ P.rem Notkerum in quaestionem «opificinae» incubuisse non est mirandum, quia erat homo rationabiliter cogitans et itaque oeconomica incepta incerta satis celeriter perspexit et etiam ex munere rem inspicere debuit bene sciens primum cellerarium P.rem Ludgerum Breindl in negotiis atque rebus pecuniariis maioris momenti modo fatali nimis credulum fuisse.⁴⁸

Ex relatione F.ris Hyacinthi nunc apparent haec: problema fundamentale erat in eo, quod Fr. Alanus «opificinam» nimis celeriter maiorandam amplificandamque curaverat, ex quā condicione aliae difficultates secutae sunt, cum transactio negotiorum sic modo apto fieri non posset. Multae querimoniae prolatae sunt, quia res clientibus male vel nimis lente allatae sunt, partim merces pauciores vel etiam plures missae sunt quam mandatae erant, nonnullae rationes nummariae exhibebantur, antequam merces missae erant. Maiorem molestiam videtur praebuisse condicio, qua mandata mercatorum aliis anteponebantur et homines privati, qui mercium coriacciarum emptione atque venditione ulterius factā «opificinam Ottilianam» et hunc in modum ipsum monasterium sustentare voluerunt, aliquatenus neglegebantur, cum illi F.ris Alani non nimis interessent. Praeterea clientes questi sunt praebitiones mercium atque pretia constituta non esse servata. Magnitudo «opificinae» ergo supra F.rem Alanum manifeste adsurgebat.⁴⁹ Aliud probelma in eo erat, quod «opificina mercium coriacciarum» semper inopiā pecuniariā laborabat. Hōc etiam cohaerebat cum modo, quo Fr. Alanus propter pretia relative minora magnas copias materialium coemebat, quae materiae deinde ob mandata non satis multa copiaque convenientia diutius asservandae erant vel in depositorio omnino remanebant. Sic materiae emptae pretium minus - ut

47 Cfr epistula Hyacinthi Johannes die 23^o m. Iun. a. 1925^o ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.12.3.2). - Hanc epistulam mirum in modum uno die ante emissionem suam in Africam Meridionalem scripsit.

48 De difficultatibus eminentibus, quae ex tali simplicitate exoriri potuerunt, emptio praedii Tragoessiani est exemplum deterrens. - Vide capp. 13.1.; 13.2.

49 Tamen entusiasmo suo correptus paratus erat ad rem magis extendendam.

putabatur - iterum tollebatur.⁵⁰ Accesserunt praeterea dissensiones cum aliis officinis mercium coriariarum earumque consociatione. «Opificinae Ottilianae» opprobrio dabatur eam venditionis pretiis nimis parvis nocere aliis mercatoribus, immo eos perdere. Hac quaestione non respectā satis manifestum est alicui officinae prodesse non posse, si venditionis pretia minora sunt quam sumptūs operandi. In summā «Ottiliana opificina mercium coriariarum» damnis satis magnis operabatur.⁵¹

Propter has condiciones problemataque Senioratus medio mense Iulio a. 1925ⁱ constituit, ut «Ottiliana opificina mercium coriariarum» generaliter dissolvenda esset.⁵² Pluribus punctis ibi causae huius decreti indicabantur. Scitū digna tamen est modus dicendi, qui est «dissolutio generaliter facienda». Nam in fine textūs legitur fieri non posse, ut opificina immediate claudatur, cum corium remanens sit adhibendum, id est liceat nonnulla genera mercium adhuc conficere atque vendere. Denique praeterea dicitur ratione aeris alieni mense Septembri a. 1925ⁱ praebitā atque inventario intermedio mense Decembri a. 1925ⁱ exhibito consultationem definitivam instituendam esse, ut perspiciatur, quomodo praesens lacuna pecuniaria exaequari possit, quā in re possibilitates exstarent sive opificinam continuandi sive labores pro aliis opificinis exanclandi.⁵³ Hōc in conexū tamen interrogandum est, num tali modo progrediendi revera solutio problematum, quae «Ottilianae opificinae» erant, inveniri potuerit. Ut videtur, decretō Senioratūs prolatō «Ottiliana

50 Fr. Alanus dixit causam angustiarum pecuniarum esse in eo, quod monasterii administratio nimis mature nimis multam pecuniam ex «opificina» extraxisset, ita ut operae sors pecunialis «opificinae mercium coriariarum» nimis parva esset. Hoc quoque argumentum verisimiliter quadamtenus convenit, imprimis cum consideratur primum cellerarium P.rem Ludgerum Breindl de rectione alicuius officinae etiam non nimis multum scivisse.

51 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177, adn. 405 existimat effectum adversum «Ottilianae opificinae» etiam cohaesisse cum malā condicione oeconomica Rei publicae Vimariensis. Hunc aspectum ad problema aliquid attulisse certe rectum est.

52 Cfr Senioratsbeschluss, 17.7.1925 (ASO, A.12.3.2) (hoc decretum subscripsit Prior P. Martinus Malter). Prima sententia huius decreti est haec: «*Deliberantes «Ottilianam opificinam mercium coriariarum» ut institutum neque oeconomicum neque monasteriale ius extendi meruisse ...*». (Textus originaliter Theodiscus). - Putandum autem est hoc decretum Senioratūs etiam effectum relationis F.ris Hyacinthi Johannes fuisse.

53 Num altera consultatio Senioratūs de hoc themate facta sit, comperi non potest, cum fontes huius rei non exstent.

opificina mercium coriariarum» continuata est ut antea,⁵⁴ cum anno 1927^o in chronicis labores «opificinae mercium coriariarum» adhuc laudarentur.⁵⁵

Revera «Ottiliana opificina» demum medio mense Iunio a. 1930ⁱ clauderetur.⁵⁶ Opificina Sororibus Congregationis Sancti Iosephi in loco Ursberg viventibus vendita est. Cooperatores laici ab eis suscepti sunt et Fr. Alanus Geiger per semiannum in loco Ursberg commoratus est, ut ibidem in opificinā instituenda auxilium ferret.⁵⁷ Totum autem inceptum «Ottilianae opificinae» videlicet non erat solide instructum, solum sumptūs produxit et itaque in monasterio per aliquod spatium temporis memoriam malam excitavit.⁵⁸

SIGRIDES ALBERT

54 Decretō Senioratūs exhibitō Fr. Alanus Geiger quidem ab P.re Notkero Mannhart mandatum scriptum acceperat, quo legebatur, quid ei tamquam praeposito «Ottilianae opificinae mercium coriariarum» adhuc facere atque decernere liceret et quid non (cfr mandatum Notkeri Mannhart die 17 m. Iul. a. 1925 ad Alanum Geiger directum (traditum die 23 m. Iul. a. 1925) (ASO, A.12.3.2), sed quam efficacia fuerint haec praecepta, nos satis clarum est.

55 Cfr Chron. Ottil., m. Iun.-m. Dec. a. 1927. - Ibi praeter alia leguntur haec: «... licet ei (i.e. F.ri Alano) unā cum cooperatoribus fidelibus de laude gaudere, quae undique operibus monasterialibus atque operariis monasterialibus praebetur.» - Talia enuntiata tamen sunt aliquatenus mira, cum intra monasterium condicio oeconomica certe nota erat. Qualitas autem mercium coriariarum, quae conficiebantur, nihilominus numquam addubitata est.

56 Vgl. Chron. Ottil., med. m. Iun.-fin. m. Aug. a. 1930. - Ibi legitur opificinam Festo Sacratissimi Cordis Iesu clausam esse, itaque die Veneris post festum Pentecostes, quod festum anno 1930^o diebus 8^o et 9^o m. Iunii celebratum est. Itaque error est, cum Cyrill SCHÄFER (2005), p. 177 scribit «Ottilianam opificinam» sub administratore finitam esse. Nam Abbas Coelestinus Maier demum mense Novembri ineunte a. 1930ⁱ administrator redditus est. Tamen Abbas Coelestinus «onera vetera» huius opificinae tractare coactus erat. Hoc ex commercio epistulari inter Abbatem Coelestinum atque episcopum Thomam Spreiter apparet, ubi Abbas Coelestinus mense Augusto a. 1931ⁱ queritur sibi tunc summam pecuniariam ultimae syngraphae exhibitam esse. Quam magna esset illa summa horrenda, Thomae Spreiter pandere noluerat. Eius commentarium erat hoc: «Est vere horribile - qualis erat administratio, qualis neglegentia ... quales res tandem sunt factae ...» (Cfr epistula Coelestini Maier die 14 m. Aug. a. 1931 ad Thomam Spreiter missa; epistula Thomae Spreiter die 22 m. Sept. a. 1931 ad Coelestinum Maier directa (ASO, Z.3.01.11.1)). - Aes alienum ex syngraphis exortum tamen F.ri Alano Geiger adscribi non possunt, cum harum rerum faciendarum licentia ei non fuerit.

57 Cfr Chron. Ottil., med. m. Iun.-fin. m. Aug. a. 1930.

58 Annalista in conexū P.ri Pelegrini Hoffmann, qui inde ex medio anno 1928^o tabularius «Ottilianae opificinae» fuerat, de hōc inceptō scripsit esse «recordationis infelicis» Cfr Ann. Ottil. 4, 19.6.1932, p. 127 (ASO, A.3.4.4).